



**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 13. Quid sit argumentatio, aut etiam propositio fallax, seu
deceptorio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

essentiam tanquam per causam immediate demonstratur aliqua passio eius. Vniuersæ tamen loquendo dicendum procul dubio est cum communi, sapissime conclusiones proprias scientiæ, aut communia ipsi scientiæ & aliis, aut extranea ipsi propriaque alterius ab ea diuersa, iuxta diuisionem scientiarum tradendam *disputatione vigesima prima*. Vnde etiam patet sapissime conclusionem vnius scientiæ per medium demonstrari aut ipsi extraneum, propriumque alterius, aut ipsi & aliis scientiis commune. Quia in idem ferme recidit conclusionem demonstrari per principium commune aut extraneum, ac demonstrari per medium commune, aut extraneum. De quibus omnibus in sequentibus plura dicenda sunt. Verum autem in demonstrationibus fas sit admittere circulum aut regressum inferius *disputatione vigesima secunda*, explicabimus: ubi plura alia, quæ hîc circa demonstrationem aut scientiam demonstratiuam attingi possent, opportunius vniuersaliusque circa argumentationem suæ discursum in vniuersum, circa scientiamve discursiuam latius acceptam attingemus.

QVÆSTIO XII.

Quid sit argumentatio probabilis. Quid improbabilis Quotuplex. & qualis.

295 **S**uppositis, quæ de probabilitate, & improbabilitate iudicij, atque adeo opinionis humane diximus supra *disputatione sexta*, pauca supersunt dicenda: in præsentemque dumtaxat eniū restat notandum argumentationem tribus ex titulis posse dici probabilem, probabilitate scilicet de qua tractamus excludente euidentiā & certitudinem. Primo quia habet antecedens probabile; Secundo quia habet illationem probabilem. Tercio quia habet consequens probabile, quoduis enim ex his tribus habeat probabile probabilis dicetur, siue duo residua probabilia, siue euidentiā, aut certa sint. Pariterque argumentatio dicetur improbabilis si vel antecedens, vel illationem, vel consequens improbabile habuerit, quidquid sit de duobus residuis.

296 **V**nde sequitur primo in omnibus modis arguendi legitimis ad necessario inferendum verum ex vero, quos in quæstionibus præcedentibus statimus, tamen illatio semper sit euidens, utpote principis euidentiæ subnixæ, probabiliter tantum, atque adeo citra demonstrationem argui, quando antecedens quod assumitur probabile tantum est. Quo casu & consequens erit tantum probabile ex vi talis antecedentis, quantumuis euidens sit illatio, qua infertur ex illo iuxta doctrinam demonstratam *disputatione sexta*, citata *quæstione quinta*. Dico Ex vi talis antecedentis, quia nihil vetat, id quod ex vi alicuius antecedentis, ex quo infertur, est tantum probabile, aliunde nihilominus esse aut certum, aut euidens. Pari ratione in prædictis modis legitimis improbabilitate dicetur argui, quantumuis illatio sit euidens, quando antecedens assumptum improbabile fuerit. Quo etiam casu improbabile erit consequens illatum, quantum est ex vi talis antecedentis præ-

cisè, quidquid sit aliunde de eo. Vt loco eisdem citato monstratum est.

Secundo sequitur. Quoties illatio est tantum probabilis, ut sæpe extra modos arguendi legitimos supradictos contingit, toties argumentationem esse tantum probabilem, atque etiam consequens probabile tantum euadere vi talis illationis, quantumuis sit certum, aut euidens antecedens: sicut tum argumentatio, tum consequens propterea illatum improbabilia sunt, quoties illatio est improbabilis; tamen si sit antecedens certum, aut euidens, ut ex doctrina etiam data 9.3. citata palam est. Illationem autem tunc esse euidens, aut probabilem, aut improbabilem, quando connexio antecedentis cum consequente, in qua fundatur, est euidens aut probabilis, aut improbabilis *disp. 6. citata* & sæpe alias in præcedentibus dictum est: sicut & ea obiecta dici euidentiā, certa, probabilia aut improbabilia vniuersè, quæ ex vi fundamentorum quæ ad illa iudicanda extant, per iudicia euidentiā, certa, probabilia, aut improbabilia iudicabilia à nobis sunt.

Denique aduerto, Syllogismos tantum probabiles Dialecticos nuncupari, eoque nomine à demonstratiuis distinguui. Quo etiam iure qualibet alia argumentatio quouis ex dictis modis tantum probabilis, atque adeo non demonstratiua, dialectica argumentatio vocari poterit. Locis autem dialectici nuncupantur, ea capita siue sedes vnde argumentationes dialecticæ petuntur ad probabiliter, copioseque differendum pro vtraque parte circa quamvis propositam quæstionem. De quibus locis nos infra agemus *disp. 28.* Porro de argumentationibus dialecticis, de locis dialecticis, de cæterisque eò spectantibus in libris Topicorum agunt Arist. & eius interpretes.

QVÆSTIO XIII.

Quid sit argumentatio aut etiam propositio fallax, seu deceptoria, Quotuplex, & Qualis.

Suppono primo. Logicos communiter ex Arist. *lib. 1. Topic. capit. 1. & lib. 1. Elench. capit. 1.* syllogismum pseudographum à sophistico, siue fallaci discriminare, quod primus in peculiari materia alicuius scientiæ præsertim demonstratiua decipiat. Secundus vero in quouis materia cuiusvis scientiæ præsertim probabilis. Agunt autem in præsentem, quemadmodum & in præcedentibus de syllogismo tantum spectatim; cum tamen de argumentatione potius in genere deberent agere: quandoquidem præter syllogismum aliarum argumentationes dantur, ut constat ex dictis, in quas sicut euidentiā & probabilitas, ita etiam fallacia non minus quam in syllogismos cadere potest.

Suppono secundo. Aristotelem in libris *Elenchorum*, & cum eo Dialecticos communiter late agere de syllogismo sophistico (qui & Sophisma, & interdum Paralogismus vocari solet) deque captionibus sophistarum (quales dicuntur homines illi, qui ex simulata sapientia quæstum faciunt, contentioseque eos, cum quibus disputant, in technam aliquam, seu deceptionem sophismatis suis conantur pertrahere.) Dicunt autem primo tria esse genera sophismatum. Primum co-

rum quæ solius materiæ ratione peccant. Secundum eorum quæ vitium habent ab ipsa forma. Tertiū eorū quæ peccant ex utroque capite. Dicunt secundo, Sophistas quinque sibi metas seu fines suarum fallaciarum præscribere. Nempe Redargutionem, Falsum, Paradoxon, Solēcismum, & Nugationem. Redargutio est, cum respondens cogitur sibi contradicere, id est, negare quod in eadem disputatione antea concesserat, aut concedere quod negauerat. Falsum est, quando respondens trahitur ad aliquid asserendum apertè falsum. Paradoxon, quando inducitur ad asserendum aliquid incredibile, seu præter opinionem. Solēcismus, quando circa congruentiam sermonis allucinetur. Nugatio denique, quando perducitur ad verbi alicuius inutilem ineptamque repetitionem. Qui duo posteriores fines satis pueriles sunt.

301 Dicunt tertio Dialectici locos vnde sophista sua argumenta fallacia petunt ad obrinendum primum, potissimumque ex quinque prædictis finibus sibi propoſitis tredecim esse. Quorum sex in verbis consistunt, septem autem in rebus: omnesque captiones etiam cum fallaciæ appellari solent, accepta nomenclatura ab argumentis captiosis, seu fallacibus, quæ ex eis depromuntur. Nempe loci captionesve verborum siue fallaciæ hæc numentur. Equiuocationis, Amphibologicæ, Compositionis, Diuisionis, Accentus, & Figuræ dictionis. Rerum autem hæc Accidentis, eius quod simpliciter dicitur, & secundum quid, Ignorationis elenchī, consequentis, Petitionis principij. Non causæ ut causæ, & Plurium interrogantium vt vnus. Quos omnes explicant Dialectici in hunc ferme modum.

302 Fallacia equiuocationis est locus aptus ad decipiendum equiuocatione vocabuli, quæ in vsum venit, quando idem vocabulum his aut pluries in argumentatione ponitur in significationibus diuersis. Videretur enim idem terminus, cum re vera sit plures quantum ad obiecta significata: vnde nascitur, vt argumentatio male concludatur re vera, cum apparenter videatur bene concludere.

303 Fallacia amphibologicæ siue ambiguitatis est locus aptus ad decipiendum ambiguitate sermonis; quæ nascitur ex multiplici significatione orationis; sicut præcedens ex multiplici significatione simplicis vocis. Venitque in vsum quando in argumentatione eadem oratio modo in vna modo in diuersa significatione vsurpatur, atque adeo re vera est multiplex cum specie tenus videatur eadem.

304 Fallacia compositionis est locus aptus ad decipiendum ratione sensus compositi falsi, cum scilicet de subiecto prout coniuncto cum alio quopiam dicitur aliquid ei non conueniens nisi vt seiuncto ab illo. Diuisionis vero fallacia est locus aptus ad decipiendum ratione sensus diuisi falsi; cum scilicet vice versa de subiecto, prout seiuncto ab alio quopiam dicitur aliquid ei non conueniens, nisi vt coniuncto cum illo, e. g. Hæc propositio. *Possibile est sedentem stare.* Falsa est in sensu composito; quia stare subiecto sedenti conuenire non potest nisi prout seiuncto à sessione. Vera tamen in diuiso; quia sedens potest non sedere, atque non sedens stare. Hæc vero propositio. *Necesse est currentem moueri.* Falsa est in sensu diuiso; quia subiecto currenti prout seiuncto à cursu non conuenit necessariò moueri; vera tamen in composito, quia vt coniuncto cum cursu conuenit. In vsum autem veniunt hæc duæ fallaciæ quando in argumentatio-

ne propositio exposcens ad suam veritatem sensum diuisum sumitur in composito, & contra vero quæ exposcit sensum compositum sumitur in diuiso.

Fallacia accentus est deceptio proueniens à varietate accentus, cum scilicet eadem vox diuersis cum accentibus prolata diuersa significat modoque cum vno modo cum alio in argumentatione profertur. Quo fit vt cum videatur idem terminus multiplex sit reipsa.

Fallacia denique Figuræ dictionis locus est aptus ad decipiendum propter similitudinem, quam dictiones inter se habent. Vnde occasi onem capite sophista ad tribuendum vni dictioni quod conuenit simili, ad vnamve vsurpandum pro altera, quo in deceptionem respondentem tentat pertrahere.

Iam vero ex fallaciis quæ in ipsis rebus fundantur, atque adeo extra dictionem esse, extra dictionem euenire dicuntur. Prima & omnium determinata, vt pote qua teste Aristot. lib. 1. *elench. cap. 5.* sapientes etiam capi solent, fallacia est Accidentis, quæ nascitur ex diuersitate subiecti, & accidentis, sumpto accidente, prout hic sumitur, pro prædicato diuerso à subiecto aliquo modo & affirmabili de illo medio verbo esse substantiuo. Qui enim medio eiusmodi verbo affirmat subiectum esse prædicatum, atque adeo iudicat subiectum idem cum prædicato esse, pro hoc est, vt iudicet quidquid conuenit, aut non conuenit prædicato, conuenire etiam, aut non conuenire subiecto, & è conuerso, atque adeo vt fallatur, quando aliquid conuenit prædicato, non qua idem, sed qua diuersum est à subiecto, vel vice versa, vt cernitur in hoc syllogismo. *Petrus est animal, animal est genus, ergo Petrus est genus.* Cuius conclusio fallit; quia esse genus non conuenit animali quatenus identificato cum Petro, quale asseritur in maiori, sed quatenus ab illo distincto, diuersoque per rationem nostram, & in cæteris pariter.

Fallacia eius quod simpliciter dicitur, & secundum quid tunc interuenit, quando ex eo quod simpliciter, & sine adiectione dicitur, colligitur sophista quod dicitur secundum quid, seu cum adiectione, vel vice versa. Vt si ita inferat, *Arma sunt restituenda domino: ergo sunt restituenda domino furioso.* Vel è conuerso: *Arma non sunt restituenda domino furioso: ergo non sunt restituenda domino.*

Fallacia ignorationis Elenchi locus est idoneus ad fallendum prætermisione conditionum requisitarum ad Elenchum, est autem Elenchus iuxta Aristotelem lib. 1. *Elench. cap. 1.* Syllogismus cum contradictione conclusionis, hoc est, colligens contradictoriam, aut etiam contrariam alicuius eæ præpositionis suppositæ. Tunc autem speciatim fallit Elenchus quando vt contradictoriam, vel contrariam præpositionis suppositæ infert, quæ neque contradictoria, neque contraria illius re vera; sed tantum apparenter est.

Fallacia petitionis principij est locus aptus ad decipiendum ex eo quod conclusio probanda ad probationem sui accipitur. Dicitur autem conclusio principium, quia initio proponitur, vt ad eam probatio dirigatur. Quæ quidem tunc dicitur peti cum sub aliis verbis synonymis postulatur. Si quis enim conclusionem sub eiusdem verbis à respondente posceret. Vt eius concessione ipsam confirmaret, non deceptionis, sed initionis occasionem praberet, recenseri autem possunt ex Aristotele lib. 8. *Topicor. cap. ultimo*, varij modi petendi

principium. Primus cum ad probationem synonymi petitur synonymum. Secundus, cum ad probationem definiti petitur definitio, aut etiam e conuerso. Tertius, cum petitur vniuersale ad probationem particularis in eo contenti, aut omnia particularia ad probationem vniuersalis. Quartus, cum petitur quoduis aliud totum ad probationem partis eius, aut omnes partes ad probationem totius. Quintus, cum ad probationem vnius ex correlatiuis petitur alterum. Quamquam enim iuxta solum primum modum datur in rigore quasi formaliter petitio vitiosa principij, in reliquis tamen saepe etiam datur saltem aequaliter.

311 Fallacia consequentis est, cum ex consequente videtur inferri antecedens, aut ex contradictorio antecedentis contradictorium consequentis, quemadmodum iuxta formas legitimas ex antecedente inferitur consequens, & ex contradictorio consequentis contradictorium antecedentis. Vt si quis supponens ex igne bene inferri calorem, vicissim, ex calore inferat ignem, aut supponens ex leone bene inferri animal, & contra ex non leone non animal inferat. Quae illationes etsi apparentes vitiosae erunt, & in ceteris pariter.

312 Fallacia non causa, vt causa, in eo stat, quod falsitas alicuius conclusionis ei antecedenti tribuatur, à quo non est: vt si abusus pecuniae aut amoru ipsius pecuniae, & armis tribuatur, indeque pecuniam, & arma exterminanda esse inferatur, quod aliqui abutantur illis. Vnde causa hoc loco late pro ratione motiua ad conclusionem sumitur, quae saepe reipsa consequentis obiectiui causa non est.

313 Fallacia denique plurium interrogationum, vt vnius locus idoneus est ad fallendum, eo quod qui plura diuersa sub vna interrogatione siue propositione comprehendit, ansam praebet vt respondens responsione simplici decipiatur. Proponente enim sophista, Socratem esse hominem, & equum: si negaueris coargueris, quod negas Socratem esse hominem: si concesseris coargueris, quod asseras Socratem esse equum. Sunt autem huius loci capita tria: primum, quando de vno quaeruntur, seu proponuntur multa: secundum, quando de multis vnum: tertium, quando de multis multa.

314 Haecenus de locis sophismatum quibus potissimum vtuntur sophistae ad obinendum primum ex finibus sibi propositis, respondentis scilicet redargutionem. Modo supersunt indicandi alij loci, quibus ad reliquos quatuor fines 2. 3. 4. 5. commemoratos obinendos vtuntur, de quibus agit Aristot. lib. 1. Elench. cap. 12. Primum enim vt ad falsum inducant, tum nullam permittunt determinatam materiam disputationis, tum multitudine interrogationis onerant respondentem, tum eo illum perducere conantur, vbi maior sibi superpetit argumentorum copia, tum denique omnia eius dicta commendant, vt incaute concedat, quod impugnet. Deinde vt ad Paradoxon impellant, tum admirabiliore cuiusque sectae opiniones rogant, tum in quibus voluntatis affectus repugnat iudicio rationis, tum ea, in quibus natura legibus repugnat, id est veritas rerum communi opinioni, tum ea quae adeo sunt dubia, vt neutram in partem propendere videantur. Praeterea vt trahant ad solacisimum, tum genera variare, tum fallacia figurae dictionis, de qua supra, vti solent. Denique vt trahant ad Nugationum definitiones, aut orationes integras pro hominibus & vice versa usurpant.

Postremo Aristot. lib. 2. Elench. & cum eo Dialectici de enodatione praedictorum sophismatum tractant, dicuntque aliam apparentem tantum esse, aliam veram. Veram autem generatim loquendo explicatione vtrij sophismatis exhiberi, tum negatione consequentiae, quando sophisma peccat in forma, quando vero in materia, aut negatione propositionis falsae, aut distinctione dubiae.

Et haec de Fallacia argumentationis prout de illa cum Aristotele tractant Dialectici, quae apud illos fusiori calamo scripta videri possunt, praefertim apud Conimbricenses. *sub finem Logicae* vbi de libris Elenchorum, & apud Fonseca. *in finem Dialecticae, libro octauo*. Quibus suppositis nonnulla supersunt aut adnotanda à nobis, aut adicienda sicut sequitur.

Enimvero fallacia siue deceptio humani intellectus in vniuersum aut iudicij circa propositionem obiectiuam, aut discursus circa obiectiuam argumentationem esse potest, cumque discursus nihil differat ab aggregato iudiciorum inter se subordinatorum, prout explicauimus *disput. 2. quest. 5.* consequens est vt omnis fallacia intellectus nostri in iudicio falso consistat. Nihilominus fallacia discursus in duo membra diuidi potest, nempe in fallaciam antecedentis, & fallaciam illationis, quarum vtraque secum fert fallaciam consequentis: & prima quidem à iudicio falso, expresse, & formali de antecedente obiectiuo incipit, completurque per iudicium falsum de consequente. Secunda vero à iudicio falso tacito saltem, aut virtuali de connexione antecedentis cum consequente incipit, & per iudicium de consequente falsum completur. Est autem iudicium de consequente prout tali falsum, esto alias consequens ipsum in se sit verum, quando deest veritas antecedentis, aut connexionis eius cum consequenti; quia consequens prout connotans talem veritatem, (qualiter per tale iudicium iudicatur, vti à nobis loco citato explicatum est) re vera non datur, esto secundum se praecise re vera detur.

Rursus prima dictarum fallaciarum circa argumentationis materiam, secunda vero circa formam dici potest versari. Quatenus forma argumentationis potissimum in connexione antecedentis cum consequente: materia autem in ipso antecedente, aut etiam consequente stare videtur. Ex quibus patet omnem fallaciam intellectus humani, aut circa propositionem per se notam, aut circa propositionem per aliud notam, aut circa connexionem antecedentis cum consequente, (quae etiam cum ipso antecedente de quo saltem tacite praedicatur, propositionem quandam, aut per se, aut per aliud notam constituit) versari.

Praeter causas autem, originisue fallaciarum, seu deceptionum humanarum, de quibus cum Dialecticis diximus, multae aliae insuper, quae verè dantur signari possunt. Primo enim saepe nascitur quod homo fallatur, aut falsum iudicando, aut etiam sinistrè discernendo ex prauitate intellectus, qui aut tanta habitudinis, aut perspicaciae tam parum est, vt saltem circa obiecta ex se obscura facile eludatur & erret.

Secundò, nasci potest id ipsum ex prauitate imaginationis; siue phantasiae, cum enim intellectus humanus pro statu praesenti ope imaginationis, siue phantasiae ad intelligendum indigeat, qua ratione supra exposuimus *disput. 1. & 2. quest. 3.* in promptu est vt prauitas imaginandi in

prauitatem redundet intelligendi, ex prauitateque apprehensionem imaginationis suis Phantasia fallacia deceptio iudiciorum intellectus nascatur. Intellectus quippe, quod attinet ad apprehensiones simplices, quibus proponit sibi res iudicandas, Phantasiam sequitur, quandoquidem illas per eadem Phantasmata sensibilia, quæ propria sunt obiecta phantasia, tanquam per quædam substituta apprehendit, ut etiam *locis citatis* affatim explicatum est, atque adeo sicut ad veritatem deprehendendam, ita etiam ad non errandum per iudicia maxime confert, quod huiusmodi apprehensiones atque phantasmata rebus ipsis apprehensis, & iudicandis consentanea sint, & proportionata: qualia utique eo magis aut minus erunt, quo magis, aut minus recta, siue perfecta, quove minus aut magis praua, siue imperfecta fuerit ipsa phantasia.

321 Vnde fit tertio ex latione ipsius phantasia, siue imaginationis (quæ multis modis multisque ex causis potest atque etiam solet accidere) fallaciam intellectus enasci, sicut etiam interdum vel ex nimis intensa, vel ex nimis remissa, & perfusoria imaginandi attentione.

322 Quarto, nasci solet fallacia intellectus humani ex defectu considerationis eorum quæ iudicat: ad recte enim, & sine errore iudicandum valde conducit attente, & per otium considerare quæ indicanda sunt, cum omnibus eorum circumstantiis, cæterisque adminiculis, quæ ad rectum verumque iudicium de eis ferendum possunt conferre. Ob id à peccatoribus, & mundanis tam fœdè passim erratur circa ea quæ ad suam iustitiam, æternamque salutem pertinent: quia minus quam oportet ea considerant. Ob id etiam in vniuersum passim errant, & decipiuntur qui ante debitum examen temere de quibusque rebus statim, atque se illis offerunt, iudicium ferunt.

323 Quinto nasci solet fallacia ex defectu prauitæ notitiæ eorum rerum de quibus agitur, propterea idumtaxat qui in vnoquoque genere rerum periti sunt, ut Theologi, in re theologica, Medici in re medica, Militas in re militari, & ceteri huiusmodi tuto, & citra periculum erroris iudicant de tali rerum genere. In quo alij non sic periti facile decipiuntur.

324 Sexto. Passiones animæ tam ad irascibilem, quam ad concupiscibilem partem spectantes ad instar quarundam nubium humanum intellectum obnubilant ac veluti obæcant, ne videat veritatem, eoque magis quo magis sunt inordinatæ, & vehementes, in causaque proinde sunt, ut sæpe in suis iudiciis decipiatur. Vnde patet quantum intersit ad humanas scientias rectè assequendas pacatum animum habere, & ab eiusmodi inordinatis passionibus liberum.

325 Septimo. Ex deceptioe exteriorum sensuum in intellectum deriuari potest, atque etiam sæpe solet fallacia. Quia quidquid sub externam sensationem cadit siue vere, siue fallaciter, connaturalissime statim cadere solet sub iudicium. Quomodo autem decipiatur sensus externi & circa quæ obiecta supra *disp. 1. q. 2.* expositum est.

326 Octauo denique obiecta ipsa iudicanda ex peculiari conceptu quem habent, sub quovè apparent, intellectum solent decipere; eo quod multa falsa, ut etiam notauit Arist. verisimiliora quam vera sunt ex conceptu suo obiectiuo, cuius generis fallacias aliquas satis abstrusas, atque adeo ad decipiendum aptissimas in isto opere detegimus, &

suis in locis notauimus. Ex quibus omnibus apparet, quot ex causis, quotque modis intellectus humanus decipi possit atque etiam solet, quotque subinde fallaciarum, seu deceptorum eius genera sint.

Media autem siue remedia ad huiusmodi fallacias seu deceptorum præcauendas, siue vitandas diuersa sunt pro diuersitate causarum, vnde proueniunt. Fallaciæ quippe oriundæ ex prauitate intellectus, ex prauitate imaginationis, connaturali maxima ex parte vitabuntur, si homo in se sentiens hos defectus aliorum, qui eis carent, auctoritate ducatur, potissimum ad iudicandum de rebus præsertim, obcuris: iudicabit etiam si impensiori consideratione & studio curet supplere, quantum possit, facultatis suæ defectum. Qui autem latione imaginationis, seu phantasia laborat peccat remedia à medicinâ, interimque prædictis etiam mediis utatur. Fallaciæ autem, quæ nasci solent ex defectu considerationis, examinis vere iudicandæ, sublato eiusmodi defectu per considerationem idoneam, siue per examen idoneum, euitantur: quæ autem proueniunt ex defectu prauitæ notitiæ, materialium quibus agitur, studio talium materialium, interim tamen auctoritate peritorum in illis cauendæ sunt. Sicut quæ ex passionibus nascuntur passionum mortificatione, abstinentiaque à iudicando, dum passio turgit, aut urget, dilato iudicio, si potest, ad tempus tranquillus. Fallaciæ denique, prouenientes à deceptioe exteriorum sensuum, reflexione supra eorum sensationes impediuntur, si præhabearur obseruatum (ut facile adhibito tum aliorum sensuum, tum intellectus examine præ haberi potest) qua ratione quibus in casibus sensus ipsi decipi soleant. Postremo pro vitandis tum generatim plerisque dictarum fallaciarum, tum speciatim his, quæ proueniunt à conditione obiectorum vniuersè conferunt deseruiuntque cuncta instrumenta sciendi tradenda *tract. sequ.* cum regulis suis. Si quidem quæcumque conducunt ad inueniendam veritatem, non possunt non conducere consequenter ad euitandam seu præcauendam falsitatem.

QVÆSTIO XIV.

Quid sit argumentatio complexa quoruplex, & qualis.

Argumentationem complexam diximus supra *q. 2.* eam esse quæ ex pluribus argumentationibus simplicibus, atque adeo ex pluribus illationibus composita est. Cum tamen argumentatio simplex vnica constet illatione ex vnico antecedente, seu complexo, seu simplici vnico inferitur consequens seu complexum, seu simplex. Vnde argumentatio complexa tot in primis modis diuidenda venit, quot est diuisa argumentatio simplex, de quibus in præcedentibus satis est dictum, insuperque in tot alia membra diuidi potest, quot sunt possibiles mixtione diuersarum argumentationum simplicium, ex quibus complexa potest coalescere, omni combinatione facta.

Speciatim vero argumentatio complexa quadruplex est. Prima, quæ ex vnico antecedente plura consequentia inferuntur per plures illationes. Secunda, quæ ex pluribus antecedentibus per plures illationes vnum, & idem consequens inferitur.

Tertia,